

Heinrich Christian Tielcke

**Serenissimi Principis Ac Domini, Dn. Adolphi Friderici, Ducis Regentis
Megapolitani ... Conjugi heu! heu! desideratissimæ, Serenissimæ Principi Ac
Dominæ Dn. Mariæ, Nativitate & Conjugio Duci Megapolitanæ &c. &c. &c. VI.
Januarii Anni MDCCI. Strelitzii placidè extinctæ, & XX. Aprilis Anni ejusdem in
tumulum Principalem, qui Gustrovii, in templo Cathedrali reperitur, illatæ ultima
justa, Oratione qvada[m], d. X. Maji, in Audit. Maximo humillime soluturus est
Præclarissimus Dn. M. Franciscus Albertus Aepinus, Theologiæ Candidatus : Ad
Hanc Parentationem Audiendam Magnificum Dominum Rectorem Academiæ,
Amplissimos Utriusque Reipublicæ Primores, Ut Et Reliqvos Dominos Doctores,
Licentiatos, Mysteriorum Divinorum Dispensatores, Philosophiæ Magistros, nec
non florentissimos Dnn. Studiosos officiosè & amicè invito Henr. Christ. Tielcke,
D.P.P.**

Rostochii: Typis Joh. Weplingii, 1701

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1795005416>

Druck Freier  Zugang





Titulis omnibus speciosius reor,
quando bene viventium & piè morientium
ordini aliquis, non vana adulatione inseritur.
Bene vivunt, qui omni horâ vigilant, Cant. V.
2. Matth. XXIV. 42. XXV. 13. Luc. XII. 36.
Qui, accedente vigili contemptu, aspiciunt fal-
lacia mundi oblectamenta, & providè subterfugiunt hîc in-
feriùs ab infensissimo generis humani osore, Satana extensam
decipulam, callidè tectam, & dolosis cineribus suppositam, di-
vinitus vero revelatam 1. Tim. VI. 9. Bene vivunt, qui atten-
dunt verbo cœlesti, Prov. IIX. 33. 34. Qui, ut loquitur B. Lutherus,
*excelsâ mente innituntur sanguinolento Jesu merito, & hac ratione,
spiritalibus animæ viribus præstant.* Bene vivunt semper memo-
res eorum Chrysofomi: *Corpus nostrum fiat hostia. Nihil ergo
mali respiciat oculus, & factus est hostia; nihil turpe loquatur lingua,
& facta est oblatio; nihil iniqui committat manus, & facta est holocau-
toma. Imo non sufficiunt ista, sed bonum etiam faciamus opus est. Ni-
mirum ut elemosynam faciat manus, calumnias inferentibus benedicat
os, auditus Divinis continuè sermonibus vacet.* Hom. XX. sup.
Epist. ad Rom. fol. 237. Piè moriuntur, quotquot, morti
vicini, cum Cassiodoro judicant, *alacriter tunc præcipuè incumben-
dum esse inchoatis, cum jam vicinitas perfectionis arripserit,* L. V. Ep.
XVII. Piè moriuntur, quotquot decedunt subnixi fiduciâ in pa-
ternam DEI gratiam, & salutiferam JESU mortem, ardentè vol-
ventes & revolentes, quod solus Christus mortem aboleat, Ef.
XXV. 8. Of. XIII. 14. 1. Cor. XV. 27. & velut vitæ fons, ex
morte in vitam revocet. Ita mediis, ad beatum obitum accom-
modatis, instructi, cum Cypriano, jam jam morituro, exultant,
dum, *mortis beneficio, ex acerbissimis, labe plenis, carceribus, cœlestis
militiæ agmine vallati, in veram libertatem transferuntur.* Adeo ingenua
& vitæ & mortis gloria quosdam Principes nomen & famam æterni-
tati consecrassè neminem eruditorum latebit. Aliquando etiam,
inter Principes, in sexu seqviori, enituit publico præconio cele-
brandum bene vivendi & piè moriendi studium. Sileo, hac vice,
exempla remotiora. Benignum Numen nobis, nostrisque Ter-
ris concessit EAS FOEMINAS PRINCIPES, QVIBUS quic-
quam

quam melius sol nunquam illustravit; QVIBUS tanquam gloriosissimæ Stirpis nota, insita est ad purum DEI cultum, & divinas virtutes felicior propensio; QVIBUS, inter principalem fortunæ apparatus, hæc res, præ ceteris, est cordi, ut nunquam non, in his caducis, instar lucentis ignis splendeant; QVIBUS vivis curæ est pia mors, ut, ad exemplum Tertulliani, *vivendo moriantur, & moriendo vivant.* Ex HARUM Augusto ordine omnino est TUA, SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE ADOLPHE FRIDERICE, &c. &c. &c. QVAM nunc lugemus, fida, dum viveret, VITÆ SOCIA, SERENISSIMA DOMINA MARIA, DUX MECKLENBURGICA &c. &c. &c. HÆC à maximis PARENTIBUS, à permagno DOMINO GUSTAVO ADOLPHO, innumeris pietatis, eruditionis, gratiæ monumentis maximè, ipsa posteritatis canitie in admirationem versâ, conspicuo, & in omnium animis æternum victuro, per traducem quasi implantatum virtutum germen, contentiosa industria feliciter adaugebat. Non fugiebat gloriosissimæ recordationis PRINCIPEM *virtutum subsidia*, beneficio Stemmatis, *decoris ingenis collata*, iudice Platone, *brevi sylvescere, & de fructibus spem corrucere, nisi stabili labore, in omnivisa, virtuosa exerceantur officia.* Potissimum verò nunc Cœlitum consortio ASSOCIATA tota pietatis studiis vacabat. Nulla erat in verbo Divino audiendo difficultas, nulla in Sacra Synaxi, ad æternam salutem percipiendâ, mora, nulla in illis, quæ animæ robur conciliant, colligendis, ad cordis recessus remittendis, & curatius asservandis socordia. MARGARETA, Imperatoris FRIDERICI III. Soror, nupta FRIDERICO II, Saxonix Electori dicitur *pulcherrima Divinorum meditationi multum temporis insumpsisse, & sollicita cura in id incubuisse, ut, pietatis culturâ, DEO, & DEI amantibus placeret.* Eadem divinorum & sacrorum cupiditate, quovis temporis tractu, flagrabat maxima MARIA, cujus nomen ex in æternæ laudis monumentis incidendum. In hac mortalitate omnia agebantur fide, omnia spe, citra simulationis vitium. Sicut coturnix (ut summa cum imis, salvâ principali dignitate, conferam) mare trajectura alarum unam, instar remi, in aquam immittit, alteram, instar veli, elevat; ita in cœlistriumphans MARIA, fulgidâ fide, fulgidâ spe, tanquam alis, per turbidum mundi mare providè iter emetiebatur. Dominæ PRINCIPI, omnes virtutes complexæ, in deliciis erat clementiæ praxis, quâ eos, quos varia fatigabat anxietas, gratioso allicere vultu, & non nisi lætos dimittere gestiebat. Hinc ad gratiosissimam DN. MARIAM, tanquam ad fontem beneficum, certatim accurrebant calamitate agitati. Illæsa veritate repeto, & Huic PRINCIPI attribuo olim per scripta de ELISABETHA, Angliæ Regina: *Miserorum gemitus lubentissima audiebat, & cum pressis jura familiaritatis, incorrupto Auctoritatis splendore, colebat.* En optimæ vitæ quondam vivam legem, speculum & imaginem! Non quidem adstruo inclytam PRINCIPEM omnis labis fuisse expertem: hoc enim nullius est creaturæ, sed solius Creatoris. Nos omnes infestat turpitude i. Reg. II. 46. Prov. XX. 9. Rom. III. 19.

20. De malo adjacente Paulus queritur, Rom. VII. Attamen
 veritatis tenax assero, SERENISSIMAM PRINCI-
 PEM, Spiritus S. auxilio, interiorem labem ejusque effi-
 caciā cohibuisse, & supra communem mortalium sortem,
 se totam ad pietatis & virtutum exercitium accommodasse. Tale
 pietatis & virtutum Theatrum, ac splendidum Exemplar rebus
 terrestribus eximitur, & placida morte extinguitur. Non potuit
 non beatus obitus exhilarare Augustam PRINCIPEM, QUÆ
 in hac vita Deum impensius colebat, certissimos fidei fructus pro-
 mebat, eosque aliorum usui devovebat. Sic enim *Deum hic co-
 lens ad cœlestis gaudii cultum capeffendum*, verba sunt Chrysofomi,
*quiete advocatur. Videt nunc Gloriosissima DN. MARIA imple-
 tas magnas & ineffabiles Christi promissiones, tantas, ut unius ani-
 ma opibus neque univēsa gloria & pulchritudo cœli, neque reliquus
 ornatus & varietas divinita, Splendor, ac delicia rerum aspectabi-
 lium æquipolleant*, inquit Macarius, Eremita Ægyptius, Horn.
 IV. SERENISSIMA DOMINA PRINCEPS, beni-
 gne à DEO suscepta, inter purissimam lucem, sine termino,
 cœlesti gaudio perfunditur. Hęc gloriæ copia, qua permagna
 MARIA refulget, TIBI, SERENISSIME DOMINE
 ADOLPHE FRIDERICE, nec non AUGUSTIS LI-
 BERIS, omnibusque MAGNIS SACRATIS PECTO-
 RIBUS, hanc mortem impensè lugentibus, solamen, cœlō
 potentissimè operante, suggerat, Deusque Ter Maximus avertat
 à PRINCIPIBUS MEGAPOLENSIBUS ejusmodi efficacissimos
 sævæ mortis actus, & MAXIMAM MECKLENBURGI-
 CAM DOMUM omnigena prosperitate cumulet. Cum autem
 Gloriosissimæ memoriæ DOMINÆ PRINCIPI MARIÆ,
 X Maji, IX antemeridianâ, in Auditorio Maximo, intermixta
 lugubri harmoniâ musicâ, humillime parentaturus sit DN. M.
 FRANCISCUS ALBERTUS ÆPINUS, Stargard,
 Mecklenburg. idcirco Magnificum DN. RECTOREM, Am-
 plissimos utriusque Reipublicæ PROGERES, omnesque Cives
 Eruditos, ut Oratorem hunc patulis auribus audiant, & AUGU-
 STAM MEGAPOLITANAM DOMUM sociatis pre-
 cibus, DEO commendent, eâ, qua decet, ratione rogo
 & invito.

Die IIX. Maji Anno MDCCI.



quam melius sol nunquam illustravit; QVIBUS tanquam gloriosissima Stirpis nota, insita est ad purum DEI cultum, & divinas virtutes felicior propensio; QVIBUS, inter principalem fortunæ apparatus, hæc res, præ ceteris, est cordi, ut nunquam non, in his caducis, instar lucentis ignis splendeant; QVIBUS vivis curæ est pia mors, ut, ad exemplum Tertulliani, *vivendo moriantur, & moriendo vivant.* Ex HARUM Augusto ordine omnino est TUA, SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE ADOLPHE FRIDERICE, &c. &c. &c. QVAM nunc lugemus, fida, dum viveret, VITÆ SOCIA, SERENISSIMA DOMINA MARIA, DUX MECKLENBURGICA &c. &c. &c. HÆC à maximis PARENTIBUS, à permagno DOMINO GUSTAVO ADOLPHO, innumeris pietatis, eruditionis, gratiæ monumentis maximè, ipsa posteritatis canitie in admirationem versâ, conspicuo, & in omnium animis æternum victuro, per traducem quasi implantatum virtutum germen, contentiosa industria feliciter adaugebat. Non fugiebat gloriosissimæ recordationis PRINCEPEM *virtutum subsidia*, beneficio Stemmatis, *decoris ingenis collata*, iudice Platone, *brevi sylvescere, & de fructibus spem corrucere, nisi stabili labore, in omnibus, virtuosa exercentur officia.* Potissimum verò nunc Cœlitum consortio ASSOCIATA tota pietatis studiis vacabat. Nulla erat in verbo Divino audiendo difficultas, nulla in Sacra Synaxi, ad æternam salutem percipiendâ, mora, nulla in illis, quæ animæ robur conciliant, colligendis, ad cordis recessus remittendis, & curatius asservandis fœcordia. MARGARETA, Imperatoris FRIDERICI III. Soror, nupta FRIDERICO II. Saxonie Electori dicitur *pulcherrima Divinorum meditationi multum temporis insumpsisse, & sollicita cura in id incubuisse, ut, pietatis culturâ, DEO, & DEI amantibus placeret.* Eadem divinorum & sacrorum cupiditate, quovis temporis tractu, flagrabat maxima MARIA, cujus nomen ex in æternæ laudis monumentis incidendum. In hac mortalitate omnia agebantur fide, omnia spe, citra simulationis vitium. Sicut coturnix (ut summa cum imis, salvâ principali dignitate, conferam) mare trajectura alarum unam, instar remi, in aquam immittit, alteram, instar veli, elevat; ita in cœlis triumphans MARIA, fulgidâ fide, fulgidâ spe, tanquam alis, per turbidum mundi mare providè iter emetiebatur. Dominæ PRINCIPI, omnes virtutes complexæ, in deliciis erat clementiæ praxis, quâ eos, quos varia fatigabat anxietas, gratioso allicere vultu, & non nisi lætos dimittere gestiebat. Hinc ad gratiosissimam DN. MARIAM, tanquam ad fontem beneficum, certatim accurrebant calamitate agitati. Illæsa veritate repeto, & Huic PRINCIPI attribuo olim per scripta de ELISABETHA, Angliæ Regina: *Miserorum gemitus lubentissima audiebat, & cum pressis jura familiaritatis, incorrupto Auctoritatis splendore, colebat.* En optimæ vitæ quondam vivam legem, speculum & imaginem! Non quidem adstruo inclytam PRINCEPEM omnis labis fuisse expertem: hoc enim nullius est creaturæ, sed solius Creatoris. Nos omnes infestat turpitudine i. Reg. IIX, v. 46. Prov. XX, 9. Rom. III, 19.

20. De

